

Caroli
MONVM

1711



Sammelbd!


2


D
La
Expe
ni
Für
Mit
Ma
Cr
Für
libe
Für
Für
Luc
Lo
Dis
Pri
Pri
Für
Foq
ca
Für



Disertatio De:	Præses.	Respon. Log.	Hæm:
Laniis. —	Schröter	Walburg	Fena. 1.
Expens. Executionū cri- minalium. —	Beier.	Wilhelm	ibid: 2.
Iustitia hoīs cir- ca suamembra	Simon.	Pauli.	ib: 3.
Mitigatione poen.	Feser.	Sereru	ib: 4.
Mulctis.	Salchner	Kalmb.	ibid: 5.
Credulitate	Beier.	Radem	ib: 6.
Jure matris circa liber: sanguinol.	Schröter	Mistagel	ib: 7.
Jure hoīs in bruta	Litb.	Steding	ib: 8.
Jure Obstericum	Simon.	Lots.	ibid: 9.
Juro dotis ac dota- tity. 1.	Heintzius.	Swiss	Lipsia 11. 10
Potestate mari- tali. 1.	Witten.	Borning.	Helms. 10. 9
Dispensationibz	Strüel.	Jarob.	Fena. 12.
Privilegiis paup- rum.	Borsman	Trinder	ibid: 13.
Privilegiis paup- rum.	Schröter	Bouff.	ib: 14.
Jure viduarum.	Schröter	Winn.	ib: 15.
Et q. justum ē cir- ca sextum cis:	Strüel.	Strolof	ibid: 16.
Jure consensuum	Salchner	Züllig	ib: 17.

Dissertatio, de	Prof.	Resp.	Loc.	num.
Jure sigillorum.	Struve	Lits.	Fena	18.
Sub- ex Obreptione	Salchow	Bundus	ibid.	19.
Equis publicis.	Suprotor	Fanchig	ibid.	20.
Jure Belli.	Burman	Pascasio	ib.	21.
Associatione ca- rum.	Burman.	Bisf.	ibid.	22.
Potestate circa sacra in Imperio Romano Germanico.	Burman.	Suprotor	ib.	23.
Juris: Ecclesiasti- ca.	Ungewin	Sarisf.	ib.	24.
Pallio Episcopa, li.	Risf.	Blas	ib.	25.





C

C

M



I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
MULCTIS,

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI ATQVE
EXCELLENTISSIMI
DN.

JOH. CHRISTOPH. *Walckners* /
J.U.D. & Prof. Publ. celeberrimi, Consi-
liarii Sax. splendidissimi, Curiaë Provincialis & Sca-
binatûs Adfessoris gravissimi, Facult. Jurid. h. t.
DECANI spectatissimi,
DN. Patroni, Præceptoris, Evergetæ atq; Hospitis
sui ultra quadriennium maximè benefici, humilimoq; filia-
lis observantia cultu ad aras usq; prosequendi,
Publicæ Eruditorum censuræ

subjiciet
Ad d. 24. Jul.

JOH. MELCHIOR *Malenberger* /
Schleizâ - Variscus,
A U T O R.

J E N Æ,
TTPIS JOHANNIS WERTHERI,
Typographi Ducalis.
M. DC. LXXV.

ILLUSTRISSIMO. AC. GENERO SSSIMO
EX. ANTIQVA. ROMANÆ. GENTIS. PROSAPIA
ORIUNDO

RUTHENO
DOMINO

HEINRICO. PRIMO
JUNIORIS. LINEÆ. HOC
TEMPORE

SENIORI
COMITI. ATQVE. DYNASTÆ. A. PLAVIA
DOMINO. IN. GREIZA. CRANNICH-
FELDA. GERA. SCHLEIZA. ET
LOBENSTEINIO.

PIO. FELICI. INCLYTO
PATRI. PATRIÆ. VERISSIMO
MÆCENATI. LITTERARUM
MAXIMO

COMITI. AC. DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO
CUM. FELICISSIMI. LONGISSIMIQVE
REGIMINIS. ATQVE. OMNIGENÆ
SALUTIS. VOTO. DEVOTO. INQVE
STUDIORUM. SUORUM. COMMEN-
DATIONEM. HUMILIMAM

SPECIMEN. HOC. ACADEMICUM

DEDICAT
EJUS

CIVIS. ET. CLIENS. SUBJECTISSIMUS
JOH. MELCHIOR. Kalenberger.



PROOEMIUM.



Ræmiis & pœnis contineri Remp. vetus Solonis, unius è septem Græciæ Sapientibus, dictum celebratur, & à prudentissimis Politicis passim laudatur. *Schönborn. Pol. Lib. 3. c. 20. Boxhorn. Inst. Pol. L. 1. c. 9. §. 16.* Virtus enim ipsamet sibi licet sit merces pulcherrima, sumumque, cui inhæret, subjectum reddat beatissimum, summum scilicet Bonum conferendo, atque optatissimam mentis tranquillitatem impertiendo: ad virtutis tamen studium alacrius excolendum, optimò in quavis benè constituta Civitate more præmia, tamquam suavissima Virtutum alimenta, decerni, & secundum Virtutem operantibus tribui, totâ die videmus. Proinde & *Juvenalis Sat. 10. v. 141. inquit:*

---- *Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas.*

Quo verò modo Virtus; eodem etiam vitium se habet, ipsumque sibi met pœna gravissima est, subjectumque suum in infelicem conjicit statum. Sed ut ab hoc homines citius avocarentur, & malò suò malum agere ommitterent, certæ in Civili Societate pœnæ, contra Superiorum præscripta agentibus infligendæ, introductæ sunt. Si enim post commissa delicta delinquentes nulla maneret pœna, omnium flagitiorum cresceret copia, dum quilibet fortè cogitaret, licet deprehensus in ipso delicto esset, non ideò tamen statum conditionemque suam futuram pejorem. Pœnarum igitur genera diversa à diversis tradita & excogitata olim hodieque reperiuntur: Siquidem pœna alia capitalis, delinquentem vitâ privans; alia non capitalis est, sed aliud bonum aufert; illa est gladii, rotæ, &c. hæc carceris & mulctæ, quæ est distinctio

A

in

in suos gradus; quam distinctionem nonnulli trimembrem constituunt, poenamque aut capitalem, aut carceris, aut mulctæ efficiunt. Malum igitur poenæ inter alia spectari potest, quando aliquis certam patitur bonorum jacturam, poenæque plectitur pecuniariâ, speciali mulctæ nomine insignitâ. Quo de coërcitionis genere, antiquissimis hodiernisque temporibus usitatissimo, atque in judiciis quotidie frequentissimo pauca pro ingenii juvenilis modulo exquisisque judicii viribus Disputationis locò propositurus, hanc totius Tractationis divisionem tamquam in limine præmittam: In Tria videlicet Capita præsens de Mulctis materia dispescetur, ita quidem, ut Primò de Etymologia, Origine, Descriptione, Divisione, ac reliquis eò spectantibus: Secundò de Causis & Effectibus; Tertiò denique de Affinibus & Contrariis succinctè agatur. Ne verò hæc illotis, quod dicitur, manibus adgrediamur; ante omnia DEUM Ter Opt. Terque Maximum calidissimis sollicitamus suspiriis, ut benignissimè nobis adesse, mentemque Spiritûs Sui Sanctissimi præsidio munire velit. Benè enim & competenter tunc universa geruntur, si rei principium fuerit decens & amabile DEO, *Nov. 6. in pr.*

CAPUT I.

Vocis Mulctæ notationem, Originem, Descriptionem & Divisionem pertractans.

Aph. I.

Imperatoris Sacratissimi, Justiniani observata passim in Institutionibus, præcipuè §. 3. *Inst. de Jur. Person. §. 2. Inst. de Tutel. pr. Inst. Quib. mod. re contr. obl. pr. Inst. de V. O. §. 2. Inst. de Obl. quæ ex del. nasc. ut & Jctorum in Pandectis relatorum, inter alios Ulpiani pr. l. 1. ff. de J. & J. & Pauli l. 3. ff. de damn. infect. l. 1. pr. ff. de adquir. vel om. possess.* vestigia secuturus ante omnia in Mulctæ Onomatologiam inquirò. Adscribitur verò vox, Mulcta, Oscis, antiquissimis Italiæ populis, Oscaque linguâ nihil aliud, quàm poenam & coërcitionem, significasse dicitur. Hinc Sabinus, vetustissima itidem Italicorum gens, mulctum pro multum dixere, & ab eadem voce mulctam deduxere. Proinde hoc vocabulum Mulctæ M. Varro non Latinum, sed Sabinum esse adserit, idque

idque ad suam memoriam mansisse ait in lingua Samnitium, qui sunt à Sabinis orti. Novitia quidem Grammaticorum turba κατ' ἀντιφρασον hoc dictum (à mulcendo scil.) tradiderunt, teste *A. Gell. N. A. Lib. XI. Cap. I.* Verùm posterior hæc derivatio priori nequaquam præferenda videtur: Probabilius etiam mulctam potius quàm multam scribi ambiguitatis evitandæ, ac Sabinianæ scripturæ & prononciationis retinendæ gratiâ, ait *Gödd. ad L. 131. § 1. de V. S.* E contrario tamen omnes, quotquot inspicere licuit, Corporis Juris, quò nomine venit in *l. un. C. de rei ux. act.* Editiones in ipso scil. Textu scripturam per t non autem per ct constanter tenent, semperque multam, numquam mulctam exprimunt: id quod tamen meritò cujusque arbitrio relinquo.

II. Synonymum Mulctæ in Lingua Romana nullum facile inveniemus, nisi generaliter pœnam pecuniariam ejusdem loco efferre velimus. Dicitur quidem Emenda solet, uti testatur Præjusus in *Vet. Jurispr.* sed verbò quoad originem suam Gallicò, Gallicis quippe dicitur l' Amende, pœna nummaria, mulcta pecuniaria; Græcis ζηνία, Harmenopulus, à Gothofredo *ad l. 2. ff. de publ. judic.* citatus vocat ζηνίαν χρημάτων, mulctam pecuniæ; Germanicè adpellatur eine Busse/ vom büssen/ weil man dadurch Missethat büsset/ item in antiquo Jure Sax. ein Bewette/ quia malè habet illos, quibus infligitur, weil sie wehe thut; ut & eine aufgelegte Straff/ eine Geldbusse/ eine Geldstraff/ eine willkührliche Gebuß; Hinc descendunt formulæ: Mulctam solvere vel pendere, mulctam committere, bußfällig werden/ Mulctam irrogare, imponere, dicere, eine Geldstraffe ernennen/ auflegen/ &c. Vocabulo mulctæ originationem debet mulctatitius; inde pecunia mulctatitia, argentum mulctatitium, item mulctatio, Gr. τιμωσις, ipsum mulctandi actum denotans.

III. Aliam mulctæ acceptionem non facile quis inveniet, cum ubivis nihil importet aliud, quàm pœnam pecuniariam, arbitrato judicantis impositam; nisi eam rarissimè & καταχρηστικῶς de pœna certa pecuniaria, ab hac, mulcta videlicet, separata, intelligamus. Quod tamen non restringendum videtur ad τὸ mulctare; id verbi enim non solum de pecunia prædicatur, sed quandoque etiam pro punire aliò modò, quàm pecuniariter, sumitur.

mitur. Qua de re exstant apud Autores Classicos ista: Mulctare matrimoniò, pro divortium facere *ap. Plaut.* Mulctare exsiliò *ap. Cic.* Mulctare verberibus, *ap. Tacit.* Mulctare gentilitiis hereditatibus, *ap. Sueton.* & similia plura, quæ heic congerere necessarium haud censemus. Mulctam tamen pro morte positam *in l. 1. C. de sedit. Gl. interpretatur.*

IV. Hisce obiter & ὡς ἐν παρόδῳ in medium allatis ad rem ipsam nos accingimus. Mulctarum proinde usum nulli repugnare Juri, & nominatim Naturali, Gentium & Civili convenientissimum esse, arbitramur. Non conveniens enim tantum sed & necessarium omninò est, ut ab illo, qui in societate humana Majestatem gerit, poenæ decernantur. In hunc finem imperium ille accepit, ut justitiam administret, fontesque quò vis licitò modò compescat & coërceat. Et imperium istud non merò hominum institutò, sed ipsâ naturâ duce coepisse, & in ipso etiam integritatis statu locum habiturum fuisse, tale scilicet, quod spontaneam & promptissimam subjectionem & obedientiam continuisset, ad *H. Grotii Lib. de J. B. & P. II. Cap. 20.* adserit *Dn. Zieglerus.* Lex quidem naturalis non præcipit, ut delinquentes puniantur: Et licet poenæ genus à natura non sit determinatum, propterea tamen poenas ab ea exigere, non est negandum. Ipsa etiam jurisdictio sive imperium, non formam externam per legem positivam accipiens, sed civitatem coercens & moderans, sive civitatem pro objecto habens, optimè ex Jure Naturæ deducitur. Ordo enim imperantium & parentium ab ipsa est natura, nec societas aliter coire potuit. Jus ergò puniendi fontes ex ipso Jure Naturali ortum trahere, ex Jure naturali Rationali fundamentum habere, ex Jure Gentium confirmationem, & ex Jure Gentis cujusque proprio, h. e. Civili certam ac determinatam formam accepisse, evincit *Hugo de Roy eleganti de Eo, quod justum est, Opusculò, Lib. I. Tit. 6. n. 2.* Ubi notandum, ab ipso Jus Naturale vocari illud, quod natura omnia animalia docuit, *pr. Inst. de J. N. G. & C.* Jus verò Naturale Rationale ab eodem intelligi istud, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, *§. 1. Inst. eod. tit.*

V. Gentibus, moratioribus imprimis & cultioribus, mulctandi morem in judiciorum usu receptissimum multis abhinc seculis

culis fuisse, facili negotiô declarari potest. Ebræorum mentionem primô locô ut faciamus, Sacras Pandectas evolventibus hujus rei exempla non possunt non obvia fieri & perspicua. Cujusmodi exstant *Deut. XXII. 19.* Ubi marito, uxorem accusanti, quasi contractis cum ea nuptiis eandem non deprehenderit virginem, quod tamen secus se habet, multa imponitur talis: *Er soll es umb 100. Seckel Silbers büßen/ und dieselben der Dirnen Vater geben/* quòd nempè probri & turpitudinis falsò insimulârit uxorem, injuriâque & contumeliâ non illam solùm, sed & ejus Parentes cognatosque adfecerit. *Exod. XXI. 22.* Viri cum alio litigantis, eaque in rixa prægnantem uxorem lædentis ita, ut abortum faciat, multa hæc est: *Man soll ihn umb Geld straffen etc.* (Hac de multa addi potest ex *J. Can. C. 32. Q. 2. c. 9.*) Et *ead. Cap. v. 32.* Dominus bovem cornupetam scienter alens, hunc in modum mulctatur: *Er soll dreyßig silbern Seckel geben/* puta: si bos iste alterius servum aut ancillam peremerit. Atque hujus generis plura in Legibus Mosaicis occurrunt. Quam in rem eleganter differit *H. Grotius Lib. 2. de J. B. & P. cap. 20. §. 10.* Solebat, inquit, apud Ebræos, qui læsus erat, ultra impendia à se facta pro talione pecuniariam multam accipere. A Persis multas fuisse frequenter adhibitas & delinquentibus inobedientibusve irrogatas, è pœnali mandato, à potentissimo Persarum Rege, Artastha, promulgato, & *Lib. Esra Cap. VII. 26.* relato confirmatur, ibi: *oder zur Busse am Guth.* Sic calumniatorum pœna apud Athenienses inter alias fuit *ῥημία*, multa pecuniaria, referente *Polluce lib. 8.* Et *Plato lib. de LL. 6.* constituisse dicitur; ut qui post trigésimum ætatis annum uxorem non duxisset, præter multam fisco solvendam, honoribus publicis privaretur. Inter varios Veterum conquirendi & compilandi pecunias modos retulit *2. Oecon. 1.* Aristoteles & hunc: Qui capite, inquit, erant puniendi, pecuniâ mulctabantur. Ita Cyzizeni, cum exortâ seditione divites carceri essent inclusi, decreverunt, eos non interficiendos, sed pecuniâ mulctatos in exilium pellendos esse, ut militibus debitum persolvere possent. *Cellar. Pol. Succinct. Lib. II. Cap. 15. §. 14.* Sic etiam Ephori, (tales apud Lacedæmonios Magistratus, quales apud Romanos Plebis Tribuni,) multa usi leguntur adversus eos,

qui à multis injuriâ sese adfici patiebantur: ignaviam enim eorum in causa esse, ut plures eos læderent, adlerent, cujusmodi exemplum adfertur ab *Erasm. in Apophth.*

VI. Præter adductarum Gentium judicarium in mulctarum impositione morem ulterius progredimur, & ad ipsos quoque Romanos Germanosque nostros hac in re accedimus: Ac Romanis quidem nullò non tempore hoc coërcendi genus frequentatum, eorum antiquitates scrutanti patebit. De mulctis primos, legem tulisse Sp. Tarpejum Montanum Capitolinum, Aul. Aterium Fontinalem, Coss. indeque hanc legem & Ateriam & Tarpejam indifferenter dici, memorat *Rosin. Lib. IIX. cap. 22.* Primis autem temporibus, cum Italia Gellii testimoniò esset armentosissima, & nec tùm ære aut argento signato uteretur, mulctatio non in pecunia, sed in pecoribus, ovibus & bobus, consistebat, proque boum copia, & ovium penuria suprema mulcta triginta bobus & duabus ovibus æstimabatur. *Gell. supr. cit. Lib. XI. cap. 1. Tiber. Decian. Tract. Crimin. tom. 1. Lib. 2. c. 26. Rosin. dict. Lib. VIII. c. 28. & Lib. IX. Cap. 17.* Hujusmodi verò pœnam pecuariam, nondum pecuniariam, etiam apud antiquos viguisse Germanos, luculenter demonstrat, *Tacitus de Morib. Germ. Cap. 12.* Sed & levioribus, inquit, delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multæ regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur. Hæc Tac. Quæ tamen multa pecuaria in pecuniariam sequenti tempore mutata. De qua, nummisque mulctatitiis, quos *Bannpfening* adpellabant, consulatur *Lehmann. Chr. Spir. Lib. IV. cap. 22.* Prioris, mulctæ scilicet pecuariæ, meminit *Dn. Herm. Conring. de Orig. Jur. Germ. Cap. 34.* ubi de antiquissimorum Germanorum moribus differens, addit: nec homicidio constitutam capitalem pœnam, sed mulctam, certò armentorum ac pecorum numerò constantem, quem morem tamen inter eorundem vitia refert; & c. 7. eundem in Childeberti, Francorum Regis, Decretis mutatum, furtique & cædis pœnas, hæc tamen antiquo Germanico more pecuniarias, imposterum capitales esse jussas. Sed supra alleg. Lehmannus, pecuniariam mulctationem (postmodum substitutam) adferens, id eam ob causam factum autumat, ut Germanorum libertas intemerata esset, & si qui puni-

puniendi obvenirent, pecuniâ potiùs, quàm vitâ multarentur, sicque ad exercitia bellica viri fortes semper suppeterent. His verò inpræsentiâ diutiùs non immorabor.

VII. Multam, quoad antiquiora Gentium nonnullarum instituta, paulatim consideratam, nunc de Jure Justinianéo describere, ejusque naturam propius attingere pergimus. Est autem Multa, pœna pecuniaria arbitraria, ab eo, cui adjudicatio data est, irrogata, secundum Ulpianum *in l. 131. §. 1. ff. de V. S.* Hæc igitur descriptio, ejusque veritas ut clariùs pateat, præcipuas multæ & pœnæ differentias attentius perquiramus, necesse est.

VIII. Apud Sabinos, quorum supra mentio facta, multa quidem pro omni pœnarum genere usurpata; ast apud Romanos & præsertim JCos specialiore induit significationem, quæ indicatur in jam *cit. l. 131. §. 1. de V. S.* ut & *l. 244. eod.* Quapropter septem potissimum modis Multa differt à pœna. (1) Pœna enim generale est nomen, omnium delictorum coërcitio: multa specialis peccati, *d. l. 131.* differunt igitur ut genus & species. (2) in materia. Multa olim quidem, uti dictum, in pecoribus consistebat, nam & in commerciis locò signatæ pecuniæ pecudibus utebantur; ast hodiè tam in emtione venditione omnibusque aliis contractibus & negotiis, quàm etiam speciatim in multa electa est pecunia, ejus generis materia, cujus *per l. 1. pr. ff. de Emt. Vendit.* publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis subveniret; eaque materia formâ publicâ percussa. Sed pœna generaliter sumpta non pecuniaria modò, sed & capitalis est, aliave, e. g. fustigatio, relegatio, deportatio, ultimum supplicium, *l. 2. pr. ff. de Pœn.* (3) Multa damnum famæ regulariter non infert, *l. 1. C. de mod. mult.* Ratio, quia est pœna extraordinaria, & non semper dolum præsupponit: Contra verò pœna, uti de furto *in l. 63. ff. de furt.* & de injuria *in l. 40. ff. de Injur.* infamat. (4) Differentia quarta à causa efficiente principali proficiscitur. Multa enim ex arbitrio ejus venit, qui multam dicit; pœna verò omnis, quæ non est multa, nequam punientis arbitrio committitur, sed specialis Legis, SCti, Constitutionis, Consuetudinis, Edictivæ autoritate infligitur. *d. l. 131. §. 1. in med.* (5) Quinta differentia reperitur in subjecto.

Multa

Mulcta quippè ibi dicitur, ubi specialis poena non est imposita, *d. l. ibi enim locum habet, ubi fraudi vel culpæ ex Lege, Senatus-Consulto, aliaque constitutione certa non est imposita poena, exemplum suppeditat l. 7. ff. de off. Pres.* Poena verò mulctæ contradistincta specialiter semper præstituta est legibus, certisque delictis & fraudibus præscripta, *l. 244. ff. de V. S.* (6) Sextum discrimen in mulctantis jure ac potestate adparet: Mulctam is dicere potest, cujus est judicare; poenam autem unusquisque irrogat, cui alicujus criminis sive delicti executio competit, *Ulp. d. l. 131. S. 1. in fin.* (7) Ultima denique differentia à Labeone in *l. 244. d. 1.* subjuncta est: A Poena non datur provocatio, sed à mulcta, *l. constitutiones 16. ff. de Adpellat. l. 2. C. Quor. adpell. l. 5 in mulctis 25. C. de adpell.*

IX. Mulcta verò qualisnam poena sit, criminalis an civilis, num imperii meri, mixti, vel jurisdictionis sit, maximè inter Interpretes & Doctores Juris Civilis disceptatur. Jurisdictionem quidem criminalem cum mero, civilem autem cum mixto convenire imperio non pauci adstruunt. Vid. inter alios *Bernh. Scotan. Exam. Jurid. ad Tit. de Jurisdic.* Accuratiùs verò Magnific. Strauchius, Jctus accuratissimus, Patronus & Præceptor maximè colendus, criminalem Jurisdictionem prorsus rejicit, *Dissert. Justin. XX. aph. 7.* Merum, inquit, imperium neque idem cum jurisdictione criminali, neque diversum est: Talis enim Jurisdictio commentum est. Videlicet hoc adsertum de Jure Civili intelligimus: Hodiernis enim moribus Jurisdictio criminalis non incongruè statuitur, de qua heic non est sermo. Proinde quod quæstionis hujus an mulcta sit imperii meri, mixti, aut jurisdictionis, primum concernit membrum, referunt nonnulli mulctam ad merum Imperium; inter eos autem est *Bart. ad L. imperium n. 12. ff. de Jurisd.* qui mulctam quantumcunque levem de mero imperio ultimi gradus esse dicit. Agnovit enim is ipse cum suis adseclis sex Imperii meri gradus, idque divisit (1.) in maximum, potestatem sc. Legislatariam. (2.) Majus, ultimum supplicium. (3.) Magnum, deportationem, (4.) Parvum, relegationem, & alias corporis afflictivas poenas. (5.) Minus, modicam coërcitionem. (6.) Minimum denique, mulctam. Verùm hæc utpotè nova & à mente Juris

ris

ris Civilis aliena rectè refutantur. vid. *Hahn. in Observ. ad Wesembec. Tit. de Jurisd. n. 6. Sutholt. de Jurisd. aph. 326.* ubi ridiculum esse Bartolum, merum imperium in sex gradus distribuentem, adserit. In eo tamen, cum ad merum imperium multam retulit Bartolus, nequaquam erravit, uti ex sequentibus patebit. Equidem poenam aliquam mero attribueri imperio & eandem dicere criminalem, coincidere videntur: Jam verò Multam poenam criminalem dici posse probatur per *L. 2. ff. de Publ. Judic.* ubi publicorum judiciorum divisione in capitalia & non-capitalia instituta non-capitalia à Paulo Jcto describuntur: ex quibus pecuniaria aut in corpus aliqua coërcitio poena est. Et hujus Legis occasione Magnif. D. Joh. Thomæ *tract. de Nox. Animal. cap. 29. §. 31. 32.* ratiocinatur ita: Quodcunque judicium interesse publicum persequitur, sive poenam, non actori, sed fisco adplicandam, vel aliter publicè luendam, id criminale est. Quidquid sentiant vulgò hodiernis moribus eam demum actionem criminalem contententes, quâ agitur ad poenam corpori cum dolore infligendam. Atqui multa publicum interesse persequitur sive poenam non actori, sed fisco adplicandam, per *l. 5. C. de mod. mult. E.* Idem sentit Magnif. Strauch. *Dissert. Justin. 29. aph. 28.* ibi: Poena est vel conventionalis, vel legalis. Legalis vel Civilis vel Criminalis. Criminalis vel corporalis vel pecuniaria: Hic pecunia fisco solvitur, quo nomine generaliter intelliguntur bona ejus, qui punitur. Et si quidem in numerata pecunia consistat, extraordinem indicta, multa est, *l. aliud fraus §. 1. vers. & multa quidem de V. S.*

X. Deinde non desunt, qui mixto multam adsignent imperio, allegantes *l. 9. in fin. ff. ad L. Jul. Pecul.* Illustriora enim ad mixtum imperium pertinentia remedia sunt tria: multæ dictio, pignoris capio, & corporis retentio, vid. Magnif. Struvius, Jctus consummatissimus, Mæcenas & Præceptor summâ observantiâ suspiciendus, *S. I. C. Exerc. IV. th. 64.* Et multæ dictio jure Magistratus competit, & pertinet ad mixtum imperium, non ad merum: est enim modica coërcitio, non gravis animadversio, uti sentit *Jac. Cujacius ad l. 131. de V. S.* Tandem Jurisdictioni Multam accenset *Gædd. ad l. 131. §. 1. n. 6. de V. S.* adeoque mandari

B mul-

multandi jus posse putat. Verum eundem absurdum vocat *supra*
cit. Sutholt. de Jurisd. apb. 325.

XI. Diversas hasce opiniones conciliari posse existimat
Theod. Reinking. de R. S. & E. Lib. 2. Class. 2. cap. 17. n. 65. seqq.
hunc in modum: Pro diversitate scilicet causarum & casuum ob-
venientium multam esse modò Imperii meri, modò mixti, modò
Jurisdictionis. Meri imperii: Si imponatur delicto, cujus coër-
cicio ad merum Imperium pertinet, maximè quidem, si corpora-
lis mutetur in pecuniariam. Mixti imperii: Si ex causa ad illud
pertinente, vel pro ejusdem tuitione, e. g. à iudice, cui in bono-
rum possessionem mittenti resistitur, irrogetur. Et Jurisdictionis:
quatenus delictorum civilium coërcitio est. *Job. Brunnem. ad L.*
multarum §. C. de mod. multar. distinguit inter multam inciden-
ter pro tuenda jurisdictione irrogatam, quæ, ex ejus mente, cujus-
vis jurisdictionis sit, etiam non criminalis; & multam, quæ à ju-
dice merum imperium habente ob facinora irrogatur. Quæ di-
stinctio de hodierno quidem Fori usu procedere potest; at *supra*
dictis de Jurisdictione Criminali applicata vix subsistet. Com-
modissimè cum *Suth. dict. Dissert. de Jurisd. apb. 324.* dicimus:
Pœnam pecuniariam, si irrogetur ob contumaciam in civilibus,
quò casu multa dicitur, esse mixti imperii, *l. 2. §. 1. Si quis in jus*
voc. (& hòc sensu civilem.) Eandem, si principaliter propter ali-
quod crimen infligatur, meri esse imperii, (& per consequens cri-
minalem.) Coërcitiones igitur quædam mixto & mero imperio
sunt communes: ut multa, quæ, judiciò criminali indicta mero
adnumeratur imperio: sin Jurisdictionis tuendæ causâ, mixto,
consent. *Magnif. Struv. Exerc. IV. tb. 77.*

XII. Namque, ut *Jul. Clarus* dicit *Lib. 5. sent. §. ult. qu. 1. n.*
1. & 2. causa atque pœna civilis est, quando agitur ad commodum
privatum, sive ex delicto s. ex contractu descendat: illud verò
criminale iudicium, in quo commodum publicum attenditur, s.
pœna corporalis ad publicam vindictam, s. pecuniaria fisco in-
ferenda, imponatur. Quæ sententia de Jure Civili verissima, *§. 7.*
§. 10. Inst. de Injur. l. ult. de furt. l. 9. §. 5. de publ. & vectig. l. 1. pr.
l. 17. de Jur. fisc. l. 12. §. 4. C. de accus. l. 1. pr. ad L. Jul. de vi priv. l.
131. §. 1. de V. S. l. 2. de publ. jud. l. 2. in fin. ad L. Jul. ann. l. 1.
C. ad

C. ad L. Jul. repet. Quam sententiam etiam allegatam videmus à *B. Carpz. Pr. Crim. P. 3. Qu. 102.* qui tamen ab eadem aliquò modo dissentit, *n. 26.* dum multam pecuniariam, quatenus sit causa circa crimina agitari solita, criminalem poenam dici posse, non valdè se repugnare; sed minùs propriè id fieri statim addit. Hinc *n. 48. d. l.* pergit: Regulariter omnis poena pecuniaria, quæ in publicis judiciis ex causa doli irrogatur, infamiam secum trahit, *arg. l. 7. de publ. jud. l. 8. pr. de Pœn. Ordin. Crim. Car. V. art. 111. 164. 169. & 198.* Jam verò poena hoc modo imposita, criminalis est, *Ord. Crim. art. 110.* E. Verùm his ipsis reponit: criminale aliquid dici, non sumitur propriè, sed fit tantùm per consequentiam & cognationem quandam, *l. licet 203. de V. S.* quæ quidem lex, id solummodò capitale, quod mortem vel naturalem vel civilem inducit, appellans, supra à nobis allatis minùs officit. Consentit tamen cum *B. Carpz. b. Habn. in Obs. ad Wesemb. Tit. de Pœn. n. 2.*

XIII. Multa, (quòd nempe sit poena pecuniaria, i. e. coërcitio, animadversio in pecunia consistens, arbitraria, arbitrio Judicis, secundum leges probè subactò, relicta, ab eo, cui adjudicatio, i. e. rem victori adjudicandi potestas est, irrogata, i. e. imposita, dicta, inflictà,) descriptione ex mente Jctorum & Impp. Romanorum allatà, dicimus: Multam sive ipsam potiùs multationem definiri hodiè non incongruè posse Actum Jurisdictionalem, quo delinquenti convicto & confesso, quòd criminis non capitalis convictus atque confessus sit, facultatum aut pars, aut omnis substantia eripitur. Quæ definitionis formula cùm per se clara, & inferiùs pluribus in causarum tractatione declaranda sit, ei non inhærebo; sed hisce relictis Divisionem brevissimis adjungam.

XIV. Dividitur Multa (α) in Supremam, (maximam seu summam) ideò adpellatam, quòd antiquò Veterum Romanorum more in dies singulos duarum ovium & triginta boum fuerit: & minimam, quæ unius erat ovis; Verba, quibus ea olim concipiebatur, adferuntur ab *Agellio Lib. XI. c. 1.* talia: *M. Terentius, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem* (genere enim virili hac in re utebantur) *multam dico.* *Conf. Rasin. A. R. Lib. 9. cap. 17.* (β) In gravem, *arg. l. 4. & l. 6. §. 1. C. de mod. mult.* modicam, *per l. 3. C. de sport. ac levem, Dd. ad l. un. Si*

quis jus dic. non obt. (γ) In lege taxatam. l. 4. & l. 6. C. d. t. & arbitrariam, pro delicti videlicet gravitate, l. 4. C. eod. Quæ quidem divisio minùs accurata, cùm multa, licèt Jure Codicis certa ei quantitas præscripta sit, vid. d. l. 4. id tamen certæ quantitatis præscriptum ita intelligendum, ut ultra eam multare Magistratus nequeat, infra illam tamen determinatam quantitatem res arbitrii ejus sit. Sed hodiè, cùm hæcce non adèdè præcisè consideranda & accipienda sint, multa etiam alia lege determinata, alia arbitraria dici poterit. (δ) In comminatam tantummodò, Alex. ad l. desertorem §. si ad diem ff. de re milit. Et impositam, l. 1. l. 4. l. 6. C. d. t. Ubi not. pro comminata magis Latinè substituendum: comminationibus proposita. Verùm singulas hæcce divisiones, cùm non expressè quoad ipsa verba in Jure reperiantur, sed utiliter & more Magistrali à Dd. tradantur, suo loco suoque pretio relinquam. Hodiè tamen itidem de Jure Saxon. Multa est vel magnæ atq; ingentis pecuniæ. eine tapffere; vel modicæ, eine ziemliche Geldbusse. Add. B. Carpz. Pr. Cr. P. 3. Q. 130. n. 5.

CAPUT II.

Causas Multarum considerans:
Efficientem, Quinam multare, qui multari
queant, materialem, qua in re; formalem,
finalem, Effectusque varios.

Aph. I.

Potestas civilis gubernandi cives, duabus ceu totum quoddam potestativum, facultatibus constat: Jussione & Coercitione, quæ in Rep. Rom. ambæ in uno subjecto conjunctæ in Magistratibus Majoribus, & uno nomine imperium, mixtum nempè appellabantur: Vel divisæ in diversis subjectis existebant, ita ut jussio separata apud Minores, ut Municipales, coercitio apud Majores Magistratus Pop. Rom. existeret. Quidquid igitur minoribus ademptum, imperii dicebatur, non contemplatione formalis actus illius, quasi oporteret esse aliquid coercitivi. Sed quatenus hic actus est pars potentialis totius, nempè imperii mixti. Dicebatur igitur imperii, nempè pars,
non

non formaliter. Magnif. Dn. Strauch. *ad 50. Decif. Exerc. III. cap. 3. n. 7.* Ex quo fundamento de Multarum causâ Efficiente pronuntiandum erit, eam esse secundum Leges Civiles Magistratum. Nota est a. Magistratum in Majores & Minores distinctio: Majoribus jus multandi competere, extra omnem dubitationis aleam ponitur: de Minoribus autem, in specie de Municipalibus, dubitatur. De singulis singulatim. Et primò omnium notanda venit regula de hac multandi potestate fundamentalis: *Magistratus solos & Præsides Provinciarum posse multam dicere, mandatis permissum est,* in *l. aliud fraus §. 1. ff. de V.S.* Et: *His datur multa dicenda jus, quibus publicè judicium est,* (qui publicè jurisdictionem suam expedire possunt, sive, qui publicè judicium exercent, *l. 10. pr. ad L. Jul. de vi publ.*) *& non aliis, nisi hoc specialiter eis permissum sit l. 2. §. 8. ff. de Judic.* Olim quidem de multa *Lex XII. Tabb.* erat ista: *Magistratus nec obedientem & noxium civem multâ coercendo, ni par majorvè potestas populusque prohibessit, adque quos provocatio esto. Cùm Magistratus judicasset irrogassitve: per populum multa, pœna, certatio esto.* Ad populum enim, cùm ei pœnæ multæque remittendæ jus esset, à Magistratibus provocabatur. Sic Flacco, flamini Martiali, populus Romanus multam, quam Crassus Pontifex Maximus ei, quòd à sacris discesserat, dixit, remisisse perhibetur. *Cic. Or. in Anton. XI. n. 18.* Imò non tantùm à Magistratibus, sed etiam à Regibus ad populum provocatio fuit usitata, quod probant *arg. pr. l. un. ff. de offic. Quest. Livius Lib. 25. cap. 3.* adfert exemplum de Publicano, cui ducentùm millia æris multa dicta à Tribunis Plebis fuit, de qua multa postmodùm certatio, i. e. cognitio & quandoque ab eadem provocatio instituebatur. Plebis enim Tribuni multam quidem dicebant, vel, ut alii efferunt, infligebant, quæ tamen postea populi suffragiis in Comitio vel irrogabatur, vel abrogabatur, vel etiam remittebatur, quò tempore multa certari dicebatur. Hòc autem statu temporis successu sensim mutatio secundum Legum Nostrarum Civilium tradita hoc multæ indicendæ jus competit Magistratibus Majoribus (1) Illustribus, quales erant Præfecti Prætorio, *l. 4. C. de mod. mult.* (2) Spectabilibus, cujusmodi erant, Comes Orientis, Præfectus Augustalis,

Proconsul. l. 6. §. 1. & 2. d. t. (3) Clarissimis, ut Prætori, (cujus tamen Constantini M. & seqq. Imp. tempore nulla ferè jurisdictio erat, sed nudum atque inane tantùm nomen; vid. Jac. Gothofr. in Serie Titt. Cod. Lib. 1. Quare de Jure Pandectarum hanc mulctandi facultatem Prætori tribuendam esse adseruerim, vid. l. 1. §. 3. ff. de insp. Ventr.) Præsidi, Provinciæ Rectori, l. 6. pr. C. d. t. l. 6. §. 9. ff. de off. Præs. Proconsulis cum fecerim mentionem, notandum, & ejusdem Legato hanc mulctæ dictionem denegatam, haud fuisse; uti colligitur ex l. 2. ff. Qui & à quò appell. verb. & si multam dixerit. Et multam quoque in Urbe dixisse Prætores, Consules, Censores, Ædiles, Tribunos plebis, quam deinde Quæstores ærarii in tabulas publicas referebant, ut eam postea exigent, adserit Cujac. ad suprà cit. l. Nominatim è contrario mulctare prohibebantur (α) Procuratores sive Rationales Cæsaris, l. 2. C. de mod. mult. (β) Curator Reip. qui Græco vocabulo Logista nuncupatur, l. 3. C. d. t. (γ) Inter minores Magistratus: Defensores Civitatum, l. 5. C. de def. Civ. De Magistratibus a reliquis Municipalibus, in primis de Duum Viris res non adeò liquet: cum eisdem mulctandi facultas à Dd. modò adjudicetur, modò abjudicetur. Veriùs secundum Leges Nostras adstruitur, Duum viros mulctare nequivisse, Hieron. Muscornius tr. de Jdict. n. 116. usq; ad n. 120. ubi elegantissimè hanc quæstionem discussit, & per rationes firmas stabilivit. Add. Magnif. Strauch. Exerc. ad 50. Decif. III. cap. 3. n. 10. ubi dissentientem Cujacium allegat. Limitant tamen nonnulli adsertum hocce, dicentes: Magistratus minores principaliter quidem mulctare non potuisse, benè tamen incidenter ad defendendam jurisdictionem, quando pars una in alia causa civili est contumax, l. 1. si quis jus dic. non obt.

II. An inferioris Delegatus, cui cognoscendi & arbitrandi potestas data, jus mulctæ indicendæ habeat: Quær. Quod negat Jac. Menoch. de A. L. Q. lib. 1. qu. 74. probatque 1. ex l. 2. §. ult. ff. de Judic. huic enim delegato specialiter permessa non fuit hæc facultas, cum sola causæ cognitio & definitio mandata sit. 2. Mulctæ indictio solis Magistratum habentibus conceditur, l. 131. §. 1. ff. de V. S. Atqui Delegatus Magistratum non obtinet, cum ad jus dicendum & imperandi munus solenni majorum more non fuerit

rit



rit adsumtus. E. 3. quòd mulctæ indictio meri imperii sit; (mixti
tamen quoque esse imperii supra evicimus) jam quæ meri sunt im-
perii, generali delegatione de Jure Civili non veniunt. Adver-
santur huic sententiæ (α) *l. non ex omnibus 39. de arbitr.* in qua ar-
bitris, quibus sola notio, non a. jurisdictio conceditur, mulctæ
indictio competere videtur; Verùm hæc lex à quibusdam non de
mulctæ, sed de juramento intelligitur, quod tamen minùs rectè se
habet; alii hanc legem procedere rectiùs statuunt, quia arbitro
potestas hæc à partibus est concessa, ut scilicet pœnam hanc dicat.
(β) *l. 2. ff. Quis à quo appell.* ex qua apparet, Proconsulis Lega-
tum mulctare posse, cùm tamen merò destituatur imperiò, *l. so-
lent 2. pr. ff. de off. Procons.* Huic dubio satisfieri potest, dicendo hanc
legem tantùm de levi mulctæ, non loco pœnæ, sed coërcitionis ad-
hibendæ, qua jurisdictionem suam exercere queat, loqui, *l. ult. de
off. ej. cui mand. jurisd.* Sed hæc resolutio maximè dubia est: cùm
adpellatio *in d. l. 2. Quis à quo app.* mulctam non ob contumaci-
am, sed ad pœnam esse inflictam arguat *l. & in multis 25. C. de ap-
pel.* tunc enim non esset locus adpellationi, si scilicet ob contu-
maciam fieret, *l. 1. C. quor. appell. non rec. l. 13. §. 4. in fin. C. de ju-
dic. l. 23. §. 3. ff. de appell.* Et si Proconsulis legatus mulctare non
potuisset, mulctæ non iniqua, sed nulla appellaretur, nec appella-
tione ullâ opus esset, *l. 1. C. qui pro sua jurisd. Lex tamen allegata, 2.
Quis à quo app.* prorsus adfertioni huic non adversatur, jure enim
Legato Proconsulis specialiter potestas illa data erat, *Menoch. d. l.*
Itaque Commissarius etiam, cùm Delegato per omnia conveni-
ens, imò idem sit, regulariter mulctam imponere nequit, *Felin. in
c. praterea 5. de offic. deleg. Gail. 1. obs. 100. n. 13.* Plerique tamen
excipiunt Delegatum Principis, quia major est quocunque ordi-
nariò, quæ limitatio ab aliis in dubium vocatur, *Brunnem. ad l.
fin. C. de mod. mult.* Sed absque dubio non Principis solummo-
dò, sed inferioris etiam Commissarius sive Delegatus mulctandi
potestatem habebit, si ea specialiter ipsi commissa sit. Semper e-
nim mandatâ jurisdictione imperium mixtum, illi cohærens, quo
Jurisdictio sive simpliciter, sive quoad partem mandata explicari
possit, etiam videtur transire, *l. ult. §. 1. de off. ej. cui mand. de Jurisd.*
Non autem alteri rursus mandare potest jurisdictionem quoniam
alienâ,

alienâ, non suâ utitur jurisdictione. Delegatus enim subdelegare non potest. Magn. Dn. Struv. *Synt. J. C. Ex. 4. tb. 42.* Disquirunt Dd. an Collega Collegam suum mulctare queat? & respondent *ex l. 4. ff. de Arbitr.* negativè, cum par in parem non habeat imperium; nisi sponte ejusdem jurisdictioni se subjecerit, *l. 13. §. 4. ad SCt. Trebell.* item: An arbitro hæc mulctæ indictio concessa sit? quod itidem negatur *per l. 2. §. fin. de judic.* cum nulla arbitro competat jurisdictione, sed solum libero partium consensu adhibeatur, ut arbitrio suo litem dirimat, *l. 14. C. de judic.* Huic tamen sententiæ refragari videtur *l. non ex omnibus 39. ff. de arbitr.* ubi à Javoleno scriptum reperitur, arbitrum litigantium contumaciam punire posse; sed Resp. quod id non tam ex arbitri potestate, quam ex litigatorum compromisso & stipulatione descendat, ac propterea etiam non ipsi arbitro vel fisco, sed adversario mulcta illa adjudicetur, *Scip. Gentil. de Jurisd. lib. 1. c. 7. & Bach. ad Treutl. Vol. 1. Dissp. 12. tb. 5. lit. B.* uti hæc confirmavit Magnif. Schröterus, Doctor atque Patronus meus observanter & submissè devenerandus, in Not. publicè ad calamum dictatis in *Schotan. Exam. Jurid. Tit. de arbitr.*

III. Non Laici seu Seculares autem tantum, sed & Ecclesiastici mulctare possunt, in causis videlicet, ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus *c. 18. x. de Offic. jud. ordin.* Itaque ex Principis delegatione Prælati raptores pecuniariâ possunt poenâ mulctare, *c. 4. de raptor.* Hinc Judæus, qui manus injecit violentas in quendam clericum, poenâ pecuniariâ puniri jubetur ab Episcopo. *c. 13. de jud. Et can. si quis contumax 20. Qu. 4. C. 17.* is, qui de atrio vel porticibus Ecclesiæ fugientem servum abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat, & ipse publicâ poenitentia justò judiciò Episcopi multetur. Quare multò magis Archiepiscopus emendas pecuniarias à subditis suffraganei potest secundum consuetudinem regionis exigere in casibus, in quibus ei licet eos excommunicationis vinculo innodare, *c. venerabilibus 7. §. denique de sentent. excomm. in 6.* Hodiè quoque in foro Ecclesiastico mulcta est usitatissima, cum & Episcopi suum habeant fiscum, & ideò Ecclesiastici judices ejusmodi poenam imponere possint. *B. Carpz. Pr. Crim. P. 3. Qu. 130. n. 2.* Inprimis hac de re inspiciendæ Ordinationes Ecclesiasticæ. IV.

IV. *Causa* iudicem multatantem impellens est severitas, *l. 6. §. 3. C. b. t.* iusta nimirum & temperata. Quoad multandos a. sciendum, in eos à multantibus multandi jus tum demum rectè usurpari, si vel quoad personas, vel quoad bona, quæ possident, eorum competentes sint iudices, per *l. 1. Si quis in ius voc.* Multari in delinquentibus inter alia in primis solent dolus, *arg. l. 4. l. 5. C. b. t. culpa. pr. l. 6. eod.* contumacia, *l. un. si quis ius dic. l. 2. §. 1. si quis in ius voc. vera,* non ficta, propria, non imputativa, ut Procuratoris. Nihilominus tamen quandoq; Procuratori ob contumaciam suam imponitur multa, nec non advocato. Etiam extraneo, jurisdictionem impediendi violantive, cum forum hõc modò illic sortiatur, *c. ult. de for. comp. l. omnem 20. ff. de iudic.* non obstante, quòd extraterritorium jus dicenti impunè non pareatur, *l. ult. de Jurisd.* Speciatim verò nullus multæ dictionem habet in advocatos, qui intra fori Prætoriani statutum numerum sunt, præter ipsum Præfectum Prætorio, *l. 18. C. de Adv. div. judicior.* Multa præterea coerceri possunt Arbitri, *l. 32. §. 12. ff. de arbitr.* ibi: *Et si diu non paruerit, multa adversus eum dicenda est.* Testes, *l. 16. ff. de testib.* ubi Paulus: *Qui falsò vel variè testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, à iudicibus competenter puniuntur.* Ii, qui servos fugitivos celant, vel protegunt, vel aliò modò juvant, *l. 1. §. 1. ff. de fugitiv.* Multa etiam centum solidorum in Magistratus statuta, si literis acceptis inquirentes (fugitivos scil.) non adjuvent. Sed & in eum, qui quæri apud se prohibuit, eadè pœna statuta, *d. l. 1. §. 2.* Sic animadversio ejus, qui compulit ludere, est ex Edicto Prætoris inter alias pœnas: *ut multâ multetur, l. 1. §. 4. ff. de aleator.* Nec muliebris sexus heic exceptus reperitur. Hinc mulierem, si non responderit, aut non veniat ad Prætozem, de partu extra ordinem cogniturum, cogendam esse remediis prætoris, & mox: si contemnat, *multis coercendam,* dicit Ulpianus in *l. 1. §. 3. ff. de ventr. inspic.* Militum quoque desertorum seu aliò vagantium inter alias coercitiones est multa pecuniaria, *l. desertorem 3. §. 1. ff. de re milit.* Iudex porrò adpellationem recipere nolens triginta auri pondo multatur. *l. 21. C. de appell.* Quamvis Jure novissimò litis damnum sustineat, & decem auri libris multetur *Nov. 126. cap. 3.* Jure Canonico pœna est arbitraria, *c. 31. x. de appell.* & consequenter multa etiam locum obtinebit, cum pœnarum arbitrariorum,

C

pri-



primò habeatur numerò. Ei quoque, qui temerè adpellavit, ju-
dex adpellationis multam imponit, *l. 6. §. 4. C. de app. Don.*
Enucl. lib. 28. c. 9. lit. I. Negotiatoribus interdicta est conventio,
ne res viliori, quàm communi ipsorum consensu statutum est, pre-
tiò vendatur, negotiationis primatibus ob id 40. auri libris mul-
ctandis, & judice negligente 50. (sc. auri libris) *l. un. C. de monopol.*
ibique Brunnem. Dolo baptizantibus vel etiam rebaptizantibus
decem librarum mulcta constituta est *l. 3. C. ne sacr. bapt. reiter.*
Eadem mulctâ compescuntur, qui susceperunt Augustam jussio-
nem per surreptionem elicitam, *l. 5. C. qui milit. poss. Lib. 12. ibi:*
decem librarum auri mulctâ feriantur. Judex Decuriones aut ali-
os Principales cruciatibus subdens aut tormentis, viginti librarum
auri illatione multatur & perpetuâ infamiâ inuritur, *l. 33. C. de*
Decur. lib. 10. Heres fiduciarius, ad quem hereditas ejusque pars
à defuncto pervenit, *l. 6. §. 1. de Leg. 3. l. 9. C. de fideicomm.* inde
heres fiduciarius dictus, *l. 46. l. 67. §. ult. ad Sc. Treb.* heredita-
tem adire cogetur remediis Pratoriis, ut mulctâ, arg. *l. 1. §. 3. de*
Ventr. insp. §. l. 32. §. 12. de recept. arbitr. & si heres metu mulctæ
non moveatur, erit actio in factum ad id, quod interest, arg. *l. 9.*
pr. de edend. l. 1. pr. de act. emt. l. 13. in f. de re jud. Donell. Enucl. lib. 7.
c. 23. lit. C. Delegati vel Judices adpellationum contra legis for-
mam causas delegantes viginti auri libris puniuntur, *Auth. ad hac*
C. de judic. Qui falsum instrumentum, ab alio factum, produxit,
eoque uti coepit, si pœniteat, à falsi quidem crimine liberatur, non
tamen à mulctâ pecuniaria, arbitrio judicis imponenda, *Ant.*
Fab. in C. Tit. ad L. Cornel. de fals. Perez. eod. De pœna terminos
effodientium *l. 1. C. de Accus.* constitutum, ut extraordinariâ a-
nimadversione coërceri debeant, & consequenter fluit, ut & heic
mulctæ locus relinquatur. Scilicet amotio terminorum pecunia-
riter de Jure Civ. punitur, *l. fin. de term. mot. cujus l. fin. cum l. 1.*
ff. eod. ex verbo Pœnesar conciliatam vid. ap. *Pac. cent. VII. q. 59.* De
Jure Sax. ei, qui terminos amovet, *Landr. lib. 2. art. 28.* pœna 30.
Solidorum, parti læsæ adjudicandorum, imposita est: *Er muß 30.*
Schilling zur Busse geben/ ultra quam mulctam evulsos terminos
sumtibus suis in pristinum locum restituere tenetur. Hodiè sci-
enter & dolosè terminos amoventes pœnâ arbitrariâ, v. g. mul-
ctâ, afficiuntur, *um eine ziemliche Geld-Busse/ jedoch daß sich dies*
fels

selbe über 4. neue Schock nicht erstrecke / in Straff genommen werden etc. *Carpz. Pr. Cr. P. 2. q. 83. n. 68. seqq.* Solidus verò, Germ. ein Schilling/ continet 12. nummos antiquos, vel 16. novos Misnenses hodiernos, quorum 12. unum grossum, & 21. florenum constituunt, & Sexagena nova, ein neu Schock continet 60. grossos, ideoque triplò major eâ, quæ vocatur ein alt Schock.

V. Materia, in qua Multa præstari solet, est Pecunia, quæ vel est numerata, vel in operis publici ædificatione, *l. 5. C. de mod. mult.* vel alia præstatione, quadruplum tamen non excedente, *sec. Alexandr. ad L. 131. de V. S.* consistit. Jure Can. itidem materiam causam constituit Pecunia, ut inter alios textus evidenter probat *can. Quisquis 21. C. 17. Q. 4. ibi: triginta libras examinati argenti purissimi componat*, i. e. triginta argenti libris mulctetur, istis enim temporibus locò mulctari verbò *Componere* utebantur. *conf. can. 9. 26. & 27. d. Caus. & d. Q.* quod etiam clarè videre licet in *Imp. Germ. Capitularibus antiquis*. Deinde ex jam alleg. textu colligitur multam etiam quadruplum excedere posse, cum in fine *d. can. sacrilegi* damnum novies componere jubeantur. Quare antea adducta Alexandri limitatio, ut ne scil. quadruplum multa egrediatur, Juri Can. attribuenda non erit. Sed obiter hinc quædam de solidis, aureis, nec non libra auri, cum frequens eorum hinc occurrat mentio, subjiciam: Scilicet idem in *J. Civ. esse solidum & aureum, gl. in l. f. ff. de in jus voc. gl. Inst. de pæn. tem. lit.* sed tamen duplices reperiri solidos sive aureos. Cui n. ante Justinianum, & quorum in Pandectis meminerunt *J. Cti.* meliores fuerunt, ita ut 50. libram effecerint. Hinc cum in *ff. solidorum.* (qui ita dicuntur, tanquam integri, ad differentiam eorum, qui semissales & remissales aurei dicebantur,) fit mentio, intelligendi illi priores & meliores, ut in *L. Si Libertus 12. de in jus voc. L. nonnulli 10. de accus. & L. 1. §. 12. ff. de var. & extr. cogn.* Postea sub Justiniano coepta est cudi moneta deterior, ut ferè indies fit, & 72. aurei vel solidi unam auri libram effecerunt, vid. *L. quotiensc. 5. C. de suscept. prepos. & arc. Lib. X.* & ita ubicunque in *Cod. aureorum vel solidorum* mentio injicitur, semper tales viliores intelligentur. Ut latius *Sichard. ad L. 4. C. de Serv. fugit. n. 13. seqq.* Quapropter Libra auri isto tempore constitit 72. solidis; Solidus verò duobus Scutatis seu Aureis Rhenanis præter propter. Libra igitur auri fa-

cit 144. scut. 180. Unciales, Magnif. Schilterus, *Dissert. Inaugur. de Curs. Publ. Cap. 2. ib. 7.* Hodiè statutum in hoc illove Ducatu, Comitatu &c. reos multans e.g. 10. aureis, si ibi-proprii cudantur nummi, semper de his istud exaudiendum; Si non cudantur, tum, qui in usu sunt, intelligendi. Ubi verò duplices aurei usurpantur, uti modò citati Sichardi testimoniò Argentinæ & Francofordiæ, tunc sec. ejusdem tradita legem generaliter de florenis conceptam de vilioribus sive minoris pretii intelligere debemus, *L. penult. de pæn. L. semper in obscuris. 9. de R. I.*

VI. Forma Multæ versatur in eo, ut ne præcipiti infligatur persuasione, *L. 6. in fin. C. de mod. mult.* sed causâ cognitâ. Per interlocutoriam etiam multa dictari potest, quæ tamen per se, aliâ sententiâ non secutâ, infligi nequit, *Wesemb. Paratit. C. d. t. n. 6.* quæ quidem sententia in Foro minùs attendetur. Nec sub amissione causæ multa imponenda, per *L. 5. in multis 25. C. de appell.* nisi pars per compromissum aut aliter consentiat. Sed num in delicto, cujus pœna corporis afflictiva non est, sed multa, locum habeat territio? Quod affirmatur, & ampliatur, ut non nuda tantum, sed qualificata etiam & realis, adhibitis instrumentis ad comprimendos pollices aptis, imò quandoque funibus, pro circumstantiarum ratione, locum sibi vindicare queat, *B. Carpz. Pr. Cr. P. 3. Q. 119.* An verò hoc casu Reus quoque torqueri possit? quod neg. Quia multa pecuniaria procul dubio mitior est relegatione, in relegatione autem decernenda regulariter tortura cessat, *Dd. in l. edictum 8. ff. de quest.* Et cùm reus in causa, in qua criminaliter agitur, non debeat torqueri, multò minùs, si civiliter, *Dd. in d. l. 5. l. maritus 20. ff. eod.* Quod ipsum tamen in causa crimen hujusmodi, in quo de ejus natura Reus torqueri potest, adnexum habente, limitatur à *Carpz. d. l.* Sed ulteriùs hîc disquirendum puto, secundum cujus Justitiæ proportionem generatim pœnæ, & speciatim multæ infligendæ sint? Illas quod attinet, easdem ad justitiam expletricem, ab aliis commutativam dictam, referre videmus *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 20. n. 2.* In imponendis pœnis Justitiam Vindicativam versari, neutri tamen speciei justitiæ particularis exactè quadrare, opinatur *Pufend. Elem. Jurispr. Univ. Lib. I. def. 17. §. 4.* Aristoteles, eumque sequentes uti Justitiam particularem non ineptè dispescunt in distributivam & Commutativam; ita illi pro-

proportionem Geometricam, huic autem Arithmeticam assignant. Cum igitur ad justitiæ commutativæ objectum, circa quod versatur, non contractus tantum spontanei, quorum scilicet principium est in contrahente utroque, sed inviti quoque, quorum principium non est in contrahente utroque, sed saltem in alterutro, referantur, oppidò patet contractuum invitatorum correctionem Arithmeticè fieri, adeoque hunc actum jurisdictionalem, quo pro malo turpi redditur malum triste, sive delinquentium punitionem, juxta legem æqualitatis Arithmeticæ institui debere. Singula hæc etiam quoad actus civium per se licitos; Aristoteli *συναλλάγματα ἐκείνα*, i. e. permutationes spontè initas, quàm quoad actus per se illicitos, aut *συναλλάγματα αἰσίοτα*, i. e. factas unâ parte invitâ permutationes, unò verbò: & quoad contractus, & quoad delicta, hisque debitas pœnas, firmissimè non ex ipso solummodò Aristotele, sed ex LL. etiam adstruentem adde *Magnif. Struv. S. I. C. Ex. l. th. 22. & seqq.* Jam thesin hæc hactenùs breviter stabilitam ad hypothesein transferendo, & quam in pœnis generatim spectatis æqualitatem observandam diximus, eandem multis quoque adplicandam adsignandamque dicimus. Rectè enim hoc in negotio si discernatur æstimatio delicti & mulctæ, ab ipsa hujus mulctæ in hoc subjecto ad hoc delictum, ab hoc homine commissum, adplicatione secundum istius æstimationis identitatem, tunc justa forma, justusque mulctandi modus non negligetur.

VII. *Causa Mulctarum finalis dicitur pœna sive punitio facinoris, l. penult. C. de mod. mult. peccati, l. ult. §. 3. C. eod. delinquentis, l. ult. princ. d. t. & ad obedientiam coactio, l. un. ff. Si quis jus dic. non obt.* In pœnis aliàs respicitur aut utilitas ejus, qui peccavit, aut ejus, cujus intererat, non peccatum esse, aut indistinctè quorumlibet. Primum finem respicit pœna, in emendationem constituta, peccantem reddens meliorem, medendi modo, qui est per contraria, & volunt hanc punitionem competere naturâ cuiusvis iudicio valenti, ejusdemque generis aut similibus vitiis non obstricto. Secundum finem, in quo sita est utilitas ejus, cujus intererat, non peccatum esse, intendimus ita: ne posthac patiat tale quid, aut ab eodem, aut ab aliis, quorum prius efficietur, si delinquens tollatur, aut nocendi viribus privetur, aut malo suo delinquere dedoceatur; posterius, si apertâ at-

que conspicuâ punitione exemplum statuatur. Tertiô demum sine utilitas procuratur quorumlibet, in id incumbendo, ne, qui uni nocuit, & aliis noceat; (quod itidem fieri potest, delinquentem tollendo: aut debilitando, vel constringendo, ita ut nocere nequeat, aut emendando) aut ne alii, impunitate illecti aliis quibusvis in societate molesti sint, quod conspicuis suppliciis obtinetur. vid. *H. Grot. de J. B. & P. Lib. II. c. 20. n. 6. 7. 8. & 9.* Quapropter respectu ejus, in quem delictum immediatè commissum, finis pœnæ est vindicta & ultio, seu pro offensa satisfactio, ac simul aliqua coërcitio, ne ulterius quis offendatur: Respectu verò Reip. læsæ finis est, ut à vitiis homines deterriti, ad virtutem colendam adigantur, atque ut hoc modo tutò ac tranquillè in civili societate vivatur. Uterque utriusque finis respectus in mulctarum irrogatione conspicitur, iisque rectius attribuitur.

VIII. Succedunt Effectus Mulctæ varii. (a) Mulcta damnum famæ non irrogat, *l. 1. C. de mod. mult.* (Quod intelligendum, si irrogetur ob delictum famæ integritatem non lædens: Secus in aliis.) sed pecuniæ, quæ judici, vel parti in condemnatione, ut fieri potest, non adjudicata, fisco quæritur. Menoch. *conf. 66. n. 5. L. 5. L. 6. C. d. t. c. un. Quæ sint Reg. 2. Feud. 56.* ubi mulctarum compendia numerantur inter Regalia, pertinent enim ad jurisdictionem, & cum jurisdictione hodiernis moribus conceduntur, Magnif. Struv. *S. J. F. cap. VI. aph. 29. n. 9.* Et in quantum mulctandi jus tamquam regale per investituram alicui conceditur, vel quatenus pro Regalium tuitione & defensione competit, in tantum & eatenus Regale conducendi jus habens etiam in alieno territorio hujus juris violatoribus mulctam imponere potest, da nemlich bey wâhrendem Blaidt auf öffentlicher Blaidsstrassen gefrevelt worden. *Reinking. de R. S. & E. L. 2. Cl. 2. c. 17.* Et quando castri unius plures sunt domini, unusque majorem habet jurisdictionem, emenda & mulcta dividitur pro rata jurisdictionis, Bart. & alii *in l. 27. pr. de stipul. serv.* Hinc mulctas fructus quæstusque jurisdictionis vocant Dd. B. Ludyvell. *Synops. J. F. c. 13.* Easdem sacris applicandas censuit *Arist. 6. Pol. 5.* Quærentur a. sec. *dd. ll. ærario Principis, nisi judex publicis operibus, (ut ædificationi Templi, publici Nosocomii) cursui publico, aliisque necessariis causis specialiter deputaverit, d. 1. 5. C. de mod. mult.* Fisci verò atque Ærarii mentione

tione factâ sciendum, sub Mutatâ Reip. Romanæ initium ad hoc pertinuisse illos redditus publicos, quos populus retinuit; ad istum verò redditus publicos eos, qui Principis erant, ut Principis, dignitati servandæ usuiq; publico adhibendi, *l. 2. §. 4. Ne quid in loc. publ.* postea a omnibus ad Principem translatis Fiscum & Ærarium promiscuè dicta, *l. 1. §. 9. ad L. Corn. de fals. l. 1. junct. l. 2. C. de quadr. præscr. §. ult. l. de usuc.* Illustris Dn. à Seckendorff im Teutsch. S. St. Part. 3. cap. 3. Reg. 9. ubi *Et antiquum & hodiernum Statum Publicum quoad hanc materiam optimè monstravit.* (E) A multa potest appellari. *in L. 2. ff. Quis à quo appell. ibi: appellari à Legatis Proconsul potest: & si multam dixerit, potest de iniquitate ejus Proconsul cognoscere, & quod optimum putaverit, statuere.* (γ) Multæ nomine à potestate hoc jus habente indictæ, usuræ deberi possunt, si intra judicati tempora non solvatur. *Perez. ad Tit. C. de fisc. usur. Lib. 10. n. 1.* (δ) Si poenam pecuniariam, quæ per sententiam imponi debet, reus ante offerat, quàm sententia condemnatoria feratur, per *ix. in l. si reus paratus 73. ff. de Procur.* ut e.g. conventus actione injuriarum si solvat æstimationem injuriæ, infamis non fiet, quod verum, non tantùm ante litis contestationem, sed etiam si post eandem oblatio facta fuerit, modò ante sententiam condemnatoriam realis multæ solutio præstetur, quam actore acceptare recusante, reus consignabit, & deponi petet: quò casu infamiæ maculam effugiet, & à judicio absolvetur. *Schulz. Syn. Inst. ad Tit. de pæn. tem. litig.* (e) Multa ter in anno, non sæpiùs infligi debet. Hinc Impp. Arcadius & Honorius tyrannidi Præsidium aliorumque Magistratum obviam ituri sapientissimè *L. fin. C. de mod. mult.* constituere, ut ultra tres vices eadem persona eodem in delicto, sæpiùs iterato ac continuato, multari nequeat, ne scilicet multando privati exhauriantur. Nimirum non debere plures eidem poenas imponi, quàm tres, intelligendum de multa, quæ incerta, cujusq; quantitas lege non est expressa, ideoq; judicis arbitrio permessa. Certa v. & determinata poena toties iteranda, quoties delinquitur. Ratio diversitatis: ut quis ultra tres vices in anno puniri nequeat, est, ut judicantium restringatur avaritia, quo non facto, subinde majores pluresq; infligerent multas, & sic homines facultatibus emungerent, quas esse integras Reip. interest, *vid. Nov. 8. pr. §. cogitatio 1.* Quod non fieri potest in poena definita & à lege constituta. Unde

eo in casu, quoniam iudicum avaritia non timetur, quoties quis delinqueret, toties inferri poena posset. Et quando saepius delinquitur, ac per delictum iteratum semper alteri damnum irrogatur, tunc si millies deliquerit, & sic millies damnum dederit, millies etiam puniri deberet, *l. 2. de priv. del.* Si autem per delictum non inferatur alii damnum, tunc habebit locum *d. l. fin. C. d. t.* Sed rege- rat quis: Sic extendi poenas non tantum in triplum, sed quintu- plum, imò centuplum, contra *§. omnes 21. l. de Act. R.* nulla poena excedit quadruplum, habitò ad rem respectu, cujus gratià consti- tuitur: Sed hinc pretium vel aestimatio poenae non constituitur ex re certa, & ideò rectè quadruplum excedit, vid. *Sichard. ad l. 4. C. de Serv. fugit. n. 36.* Hodiè praescripta LL. mulctae quantitas non ob- servatur, sed pro delicti personaeque qualitate imponi, ejus pars fisco, altera parti laesae applicari, atque unus idemque, si id contu- macia & inobedientia ejus exigat, saepius mulctari potest, *Perez. Comm. Cod. ad supra d. tit. de mod. mult.*

IX. Dant causae mulctarum lac & lanam Superioribus, à qui- bus deinceps illae mulctae pecuniariae impetrantur precario per ad- dictos illorum lateri vel aulis, prout experientiam testari tradit *Matth. Coler. de Proc. Exec. P. 2. c. 1. n. 141.* Et cum quandoque judi- cibus haec concedantur inferioribus, non immeritò Q. An & qua- tenus iudex inferior, *der Erb- Richter*/mulctam indicere queat? Ei enim aliquam competere coërcitionem expeditum est, haudqua- quam tamen inde inferendum, omnes, qui mulctae irrogationem desiderant, casus, ad Bassam (inferiorem) jurisdictionem pertine- re, uti latè nimis eandem extendit *Coler. l. cit. n. 146.* cum multa crimina, ut stuprum, fornicatio, vulneratio &c. ad Jurisdictionem Altam (Superiorem) spectent, quae raro graviori, quam carceris poenâ aut mulctâ pecuniariâ puniantur: Adeoque mixtum imperi- um, quale fuit J. Civ. hodiè quasi divisum, modò ad superiorem, ad inferiorem modò jurisdictionem refertur, *Carpz. Pr. Cr. Q. 109. n. 61.* Sed ad quantam pecuniae summam Iudex inferior, *der Erb- und Unter- Richter*/mulctare queat? Hoc nullibi expressum, arbitrio iudicis relinquendum qui putaverit. In Electoratu Sax. fuit con- clus. eum ultra 4. sexagenas novas aut 10. thal. mulctare non posse: *Daß nemlich der Erb- oder Nieder- Richter in Sällen/ die in die Erb- Berichte eigentlich gehören/ die Verbrechere um eine ziemli- che Geld- Busse/ iedoch daß sich dieselbe personarum & circumstan- tia-*

tiarum ratione über 2. 3. oder 4. silberne Schock nicht erstrecke/ in
Straff zu nehmen wohl befugt. In poenæ igitur arbitrariæ, qualis
& mulcta, inflictione inferioris judicis potestas eatenus est restri-
cta, ut majorem mulctam irrogare nequeat. Crimine verò severi-
orem poenam exigente, causam ad Superiorem remittendam statu-
it, *Carpz. d. l.* Et profectò melius esset, si modò id fieri posset, ut Col-
legia Juridica determinarent mulctas ab Inquisitis solvendas, cum
sæpe judices hæc in re sint attentiores ad rem, quàm par est. Unde
æquus judex semper habebit rationem facultatum inquisiti, ita
sentiente Excell. Bechmannò, Doctore & Patronò meò submissè
observandò in *Prælect. Publ. mss. ad Tit. ff. de Poen. n. 77.*

X. Mulcta an ob inopiam in corporalem mutanda sit, pau-
cis h. l. videndum. Præsciendum autem Poenarum alterationem
quatuer fieri modis: Aut enim mutatur pecuniaria in pecuniari-
am; aut corporalis in pecuniariam: & tunc alteratio facta in pe-
cuniariam nihil operatur circa famam, quia fama est inæstimabi-
lis, pecunia autem semper æstimabilis, sed cum æstimabile & inæ-
stimabile nullam inter se proportionem habeant, compensari ne-
queunt, arg. *l. 95. de Leg. 1.* Aut pecuniaria in corporalem, aut cor-
poralis in corporalem, Poenæ corporales omnes sunt inæstimabi-
les, quia minima corporalis major est maximâ pecuniariâ, *l. in ser-
vorum 10. de poen.* Ergò poenæ corporales cum infamia rectè com-
pensantur, tanquam ea, quæ proportionem inter se habent. Jam-
de pecuniaria in corporalem mutata communis obtinuit regula:
Qui non habet in ære luat in corpore, add. *l. ult. de in jus voc. l. 7. §.*
3. de Jurisd. l. 4. C. de serv. fugit. l. 1. §. generaliter 3. ff. de Poen. Ratio
est, ne delicta maneant impunita, *l. ita vulneratus 51. §. 2. ad L. Aquil.*
l. si à reo 70. §. fin. de fidejuss. l. 18. §. 1. v. ne dum ff. de Judic. l. 20. pr. v.
at is. de interr. in jure fac. l. 14. C. de poen. Et extendunt dictam regu-
lam, ut procedat, si partem mulctæ reus solverit, restet tamen ad-
huc nonnihil solvendum, ut e. g. in casu impositæ mulctæ 100. au-
reorum, 50. solùm pendere posset; heic putant Dd. quòd propter
defectum reliquorum 50. nihilominus corpore luere debeat. Du-
bitatur verò hîc, quando cognosci possit, reum non esse solvendo?
Possit enim reus dicere, se operam daturum, ut post annum sol-
vendo sit, an audiendus? & dicendum, quòd non, sed spectandum
tempus, quo sententia fertur, ut, si tùm sit solvendo, liberetur, sin-
minùs, pecuniaria in corporalem convertatur. Sed dicat quis: tùm

D

pœ-



pœnam excedere delictum, contra *l. 22. de pœn. &*, quòd excedat, patere; quia minima corporalis major est maximâ pecuniariâ, ut suprà dictum. Sed nequaquam excedit, cum lex illam imponat. Nam corporalis hæc est quædam quasi succedanea pecuniariâ, veluti plerumque æstimatio succedit loco rei, *l. 39. de usufr. l. 35. §. 1. eod. l. 22. in fin. de pet. her.* & idè dum solvitur æstimatio, sive pœna succedens corporalis, perindè est, ac si solveretur pecuniaria. Limitatur tamen regula I. in pœna ex contractu debita II. creditore, vel eo, cui applicanda, ita volente. III. in personis honestioribus. Fingatur casus: Titius propter commissum delictum condemnatur in multam, hæc quia magna est, offert se puniendum in corpore, num audiendus sit? Resp. neg. Cogetur potiùs omnia bona, qualiacunque sint, dividere, pœnamque exsolvere. Ratio, quia corporalis pœna adhibetur in subsidium & quasi sub conditione, ut tunc ad eam deveniatur, cum pecuniaria non potest solvi. Sed nonne reorum favore receptum, ut potiùs pecuniariter, quàm corporaliter puniantur, ideoque favori pro se introducto renunciare poterunt, *l. penult. C. de pact. & c. 12. x. de for. comp.* verùm ea, quæ in certæ personæ favorem introducta, omitti, iisque renunciari posse, adducti textus probant. Favori enim publico, qui etiam hoc in negotio, ut videl. pecunia potiùs accipiatur, quàm corpus hominis affligatur, subest, ita facilè à quibusvis renunciari nequit. Proinde si iudex dubitet, an reus sit solvendo, per Baldi tradita vocet vicinos & cognatos, & quantum facultatum superfit, exploret; vel bonorum inventarium, quò non probatur tantùm affirmativa, aliquem hoc vel illud in bonis habere, verùm etiam negativa, aliquem non habere plus, *l. 17. de Probat. cujus aliàs probatio dicitur difficillima, c. 11. x. eod.* confici curabit. Hinc, utroque modo reum non solvendo comperiens iudex corporalem pronuntiabit coërcitionem. Hæc tamen practica Sichardo *sup. cit. loc.* non placet, cum condemnato suppetere possint amici, multam pro ipso solventes, hocque casu semper in pecunia condemnandum reum, & deinceps, si non sit solvendo, nec alius pro eo solvat, executionem in corpore demum suscipiendam esse.

XI. Ulteriùs Q. si multæ locò corporalis pœna infligatur, quis tunc sit iudex? E.g. Mævius coram iudice causarum civilium egit ad pœnam pecuniariam, cui solvendæ reus cum non sufficiat, succedit corporalis. Dubium oritur ex *l. 61. §. 1. de Jud.* in qua la-
trun-

trunculator, i. e. rerum criminalium iudex, de pecuniaria causa cognoscere nequit; è contrario rerum civilium iudex non potest se immiscere criminalibus, *l. 1. §. 7. de off. pref. Urb.* Remittere igitur causam debere iudicem, nonnulli opinantur, per *l. fin. de injus voc.* Verùm in proposita Quæstione dicendum, eundem manere iudicem, si causa pœnaque criminalis per ipsum in executionem traduci possit, adeoque ad ejus pertineat jurisdictionem. Vice versâ in casu, quo locum pœnæ corporalis subit mulcta, quam tunc non nisi is, qui superioritate territoriali gaudet, (& quidem regulariter criminibus, quibus pœna capitalis ipso Jure Divino non Judæis tantùm, sed universo quasi humano generi dictata est, exceptis) irrogat, idem erit iudex competens. Hoc enim jus vitæ & necis non immeritò inter majora Majestatis Regalia refertur, & consequenter facultas quoque pœnam mortis in mulctâ mutandi eò spectabit, quod confirmat *l. 45. §. 1. de re jud.* Add. supr. cit. Dn. Seckend. verb. *die Erlassung der Todesstraff in eine Geld- oder andere Busse &c.* Idem ex facili judicari potest, quando fit transmutatio pœnæ, v. g. relegationis in mulctam, quæ itidem ex justa causa à quolibet, merum habente imperium, injungi haud prohibetur. Fustigationis quoque pœnam in aliam, (e. g. mulctam) absque Principis præscitu mutari non posse, recepta in Colleg. Jur. Jen. sententia est, Magn. Struv. *S. J. C. Ex. 49. th. 90.* Carceris v. pœnam in mulctam mutandi facultas iudici etiam inferiori non deneganda. Sed is, pœnam carceris à Scabinatu dictatam mutare in mulctam nolens, an cogi potest? Cogi non posse, nisi personæ dignitas, vel aliæ urgentes circumstantiæ, v. c. delinquentis mala corporis constitutio id exposcant, putat Dn. Bechm. supr. d. l. An in mulctis fiscus aliis præferatur vid. Perez, ad Tit. C. de Pœn. fisc. n. 7. Sub finem h. Cap. dispiciendum restat, an mulcta, ex libera Patris voluntate pro filii delicto exsoluta collationi subjaceat? quam contra quosdam diss. conferendam affirmat Magn. Dn. Ordin. *S. J. C. Ex. 37. th. 28. n. 3.* cum propter delicti odium simplicis donationis præsumtio, tacitaque Patris, collationem quasi remittentis, voluntas locum habere non videatur.

CAPUT III.

Mulctæ cognata contrariaque delibans.

Aph. I. **M**ulctis hætenus tractatis maxima intercedit cognatio cum Pœnis pecuniariis, strictè dictis, quæque

que in Jure, præcipuè in ff. expressè definitam & determinatam
quantitatem habuerunt, quamquam idem etiam videre liceat in
anteriorum Imp. constitutionibus Cod. notabile exemplum oc-
currit in l. 1. C. de fisc. usur. ubi Imp. Antoninus mulctam pro pœ-
na in libello proponentis errorem corrigit. Hac de differentia
nonnulla adjecta sunt Cap. I. aph. 7. Ita hujusmodi pœnæ pecunia-
riæ inter alias constituuntur Furto, S. 5. Inst. de obl. qu. ex del. Bona
alicujus vi rapienti, pr. l. de vi bon. rapi. Liberto in jus Patronum
vocanti, l. 14. l. fin. de in jus voc. item Patroni filium in jus contra
Prætoris edictum trahenti, l. 12. ff. eod. Pro personis necessariis fide-
jussorem qualemc. accipere recusanti, l. 2. in jus voc. ut eant, Juris-
dictionis perpetuæ causâ in albo Prætoris propositum dolô malô
corrumpenti, l. 7. l. 8. l. 9. de Jurisd. Sepulchra violanti, l. 3. C. de sep.
viol. it. iudicibus, vindicare hoc crimen negligentibus, l. 3. C. eod.
Deinde sec. Dd. mulctæ cognatum dicitur (a) Primum Decretum,
(de cujus in primum & secundum divisione, an adcurata satis, vid.
Magn. Dn. Strauch. Diff. 24. aph. 19.) quod communiter intervenire
autumant in causis pignorum, damni infecti, legatorum, possessio-
nis, aliisq;. (b) Bannum, Bart. ad l. 6. de off. Pras. Quod & ipsum du-
plex, Primum & Secundum, aliis Superius, die Ober-Acht/ ex quo
condemnatus ubiq; locorum ultimô suppliciô affici potest, fit in-
famis, & bona ejus publicantur, Magn. Dn. Strauch. Diff. 29. aph. 23.
De J. Sax. vid. Carpz. P. 4. C. 48. d. 11. (c) Mulctæ Pœnitentiæ, der Neus-
kauff/ cujus duplex effectus: Scil. ut emtionem nondum perfectam
emtor adimplere nolens, mulctam pœnitentiæ solvere cogatur, l.
17. C. de fid. instr. pr. l. de de emt. vend. Deinde habebit adpositio hu-
jus mulctæ effectum suum, parte alterâ ultrô ejusdem mulctæ lu-
crô contentâ, actionemq; ex contractu omittente. Carpz. P. 2. C. 32.
d. 14. (d) Wergeldum (can. 26. C. 17. q. 4. Wiergeldum vocatum) Sa-
xonicum, in se suaq; natura nihil aliud, quàm pœna pecuniaria, ul-
tra quam reus, si homicidium ex culpa commiserit, condemnari
etiam solet in summam mulctam, das höchste Gewette/ quæ perse-
quitur interesse publicum, cum Wergeldum interesse intendat pri-
vatum, Ista a. summa mulctæ 60. est solidorum. Nec obstat, reum
hoc modo duabus affici pœnis, istud enim tunc verum, quando
utraq; ad eundem tendit effectum, & unâ delictum sufficienter est
punitum. In favorem igitur & solatium proximorum Wergeldum
est receptum, quod occisô masculô est 20. thal. aut 22. floren. & 18.
gross.

gross. foeminâ v. interemtâ dimidium dictæ summæ. *Vid. LandR.
Art. 171. in fin. ibique von des Mannes Wehrgeld oder Busse. (ε)*
Observantia certorum locorum, ubi statutum, ut injuriantes cer-
tum infamiæ suæ pretiū pro convitio solvant, appellatū, das Lügen-
oder Mundgeld. *Dn. D. Beier. in Not. ad Syn. Schulz. tit. de Inj. lit. d.*

II. Contrariatur in universum omnibus pœnis, ideoq; & Mul-
ctis habitus injustitiæ Commutativæ tam Excessivæ quàm defecti-
væ; quando nim. judex mulctandi facultate instructus majorem
graviolemq; delicto, vel minorem quoq; leviolemq; mulctam im-
ponit. Et mulcta excessiva ipso jure nulla est, & gravatus nullita-
tem allegare potest. Quam in rem *Impp. in l. 5. C. Qu. prov. non est
nec.* ita rescribunt: *Certâ ratione & sine multare præsidet* (hodiè qui-
libet Magistratus) *possunt. Quòd si aliter & contra legis statutum mo-
dum Provinciae Præses multam vobis irrogaverit: dubium non est, id
quod contra jus gestum videtur, firmitatem non tenere, & sine appel-
latione posse rescindi.* Et tenentur Mulctantes condemnato ad dupli-
restitutionem, & fisco ad parem, quam indixere, mulctam inferen-
dam, *l. ult. §. 4. C. de mod. mult.* Hodieq; Magistratus de justitia de-
negata condemnatus non ex fisco aut ærario publico, sed de suo
mulctam solvere est obstrictus, *arg. l. civitas 27. de R. C. l. 4. l. 6. de Ma-
gistr. conv. l. 3. C. eod. teste B. Carpz. Resp. L. 6. t. 9. R. 95. n. 5.* Vitanda igitur
in mulctæ irrogatione præcipitania (quæ justitiæ noverca au-
dit *in Clem. pastoralis 2. de Sent. & re jud.*) & erubescenda varietas, *d.
l. ult. in f. C. de mod. mult. ibi: Nec putent* (judices vid.) *factu facile esse,
ut aut præcipiti persuasione condemnent, quem culpa non ingravat,
aut erubescenda varietate judicii pro arbitrio proprio immutandum
esse, quod jusserint: nisi paupertas condemnati hoc persuaserit.* Quan-
doq; enim propter inopiam mulcta remittitur, quæ remissa, dein-
ceps à Magistratu exigere non debet, *l. 6. §. 9. de off. Præs.* Sed an mors,
omnia aliàs solvens, *Nov. 22. c. 20.* modus sit tollendæ mulctæ, Q. Et
sciendum, istam non efficere, quò minus mulcta pecuniaria reo im-
posita, eoq; postea defunctò, ab ejusd. heredibus exigere queat, quod
& procedit, si lis cum defuncto sit contestata super delicto civiliter
intentato, *l. 26. de O. & A. l. 1. pr. de priv. del. Carpz. Pr. Cr. P. 3. Qu. 147.*

n. 4. Verùm, cum hâc vice prolixior esse prohibear, à Benevolo

Lectore æquiorum erratorum veniam deprecans, ulti-
mam huic Exercitio manum impono.

S. D. G.

D 3

Non

Non finis incassum labi irreparabile tempus:
Invigilans studiis præmia certa feres!

Ita vovet

Eximio DN. Respondenti amico suo

Georgius Adam. Struve / D.

In studio Juris quantum profeceris ; hocce
Ingenti studio judicioque probas.
Mulctam dum tradis paucillis hisce pagellis,
Sontica quæ ingenii sunt documenta Tui.
Musæ Salanæ applaudunt, bona verba precantes:
Sis voti compos ; Gratulor ecce ! Tibi,
Gratulor & precor, ut confirmet JOVA quod in Te
Incepit, crescas ut magis atque magis.
Sic Patriæ poteris, sic caris gratus amicis
Vivere, sic docti nomine dignus eris.

*Benivolentiæ testanda causâ hæc
adponeb.*

Ernestus Fridericus Schrö-
terus, D.

Exponis doctè pænas, fontesque coërces
Ultor, & hinc meritis vigili Sponsore labore,
Premia mox capies. Cupidus sic fortiter urge.


*Per-Eximio DNO. Autori animitus
gratul.*

Johann-Volk. Bechmann / D.
& Antecessor.

Discutis en placet hoc ! quæ sint compendia *Mulctæ* :
Mulctæ datur Juri ; dat Tibi *Mulctæ* decus.


*Pereximio DNO. Autori, Amico suo
certo scribeb.*


J. G. Simon, D.











194457

ULB Halle 3
003 621 391




f


Sb.

V. 17

R







I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
MULCTIS,

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI ATQVE
EXCELLENTISSIMI
DN.
JOH. CHRISTOPH. Galdners /
J.U.D. & Prof. Publ. celeberrimi, Consi-
liarii Sax. splendidissimi, Curia^e Provincialis & Sca-
binat^{us} Adfessoris gravissimi, Facult. Jurid. h. t.
DECANI spectatissimi,
DN. Patroni, Præceptoris, Evergetæ atq, Hospitis
*sui ultra quadriennium maximè benefici, humilimoq, filia-
lis observantia cultu ad aras usq, prosequendi,*
Publicæ Eruditorum censura

subjiciet
Ad d. 24. Jul.
JOH. MELCHIOR Malenberger /
Schleizâ - Variscus,
A U T O R.

J E N Æ,
TTPIS JOHANNIS WERTHERI,
Typographi Ducalis.
M. DC. LXXV.

